

Spiritum quendam ab æterno produxisset, & illa ipsa creatura, quoque in æternum duratura esset, (quod planè non repugnat,) tunc competeret ipsi hæc infiniti ratio formalis, nempe ab æterno fuisse, atque æternum duraturum esse. E. quoque id, quod ratione hujusmodi formali constituitur, de eâ dici posset, talisque per consequens creatura esset infinita secundùm essentiam & simpliciter, quod Orthodoxis Theologis & sanæ rationi repugnat.

Th. XI. Sunt tertio nonnulli inter Philosophos, qui rationem formalem infiniti in essentiâ Independentiam ab aliâ superiori causâ esse existimant. Quam sententiam sine injuriâ adscribere possumus patribus Conimbricensibus, qui 3. phys. c. 8. q. 8. infinitatem de Deo probaturi sic c. l. disserunt: *Porro infinitas hæc intensiva (ita loquuntur ibi) de Deo potest probari dupliciter: à priori & aliquo attributo prius de Deo demonstrato: & à posteriori ex affectibus. A priori quidem, quando prius probatum est, Deum simpliciter primum esse, tum quoq; hoc constat. Nam quod simpliciter primum est, id à nullo, sed à seipso existit, &c.* Unde facilè colligere licet, hanc ipsorum opinionem fuisse, quòd scil. aliquid per id, quod primum in causando & independens sit, infinitum secundùm essentiam constituatur. Cum quibus quoque fecisse videtur Jacobus Martini, qui modò citata verba Conimbricensium tanquam *Ἰεω Metaph. L. II. Exerc. IV. sub Theoremate XI. allegavit.* In idem cornu inflat Christophorus Scheiblerus, dum *Metaph. Spec. L. II. c. III. Tit. X. a. 1.* per omnimodam independentiam ab aliâ superiori causâ significari dicit infinitatem per essentiam. Hanc quoque sententiam fovet *Vasquesius, qui disp. 25. c. 5.* conceptum formalem infinitatis quærit in τὸ εἶναι esse à se, ideoque dicit, *Deum esse formaliter infinitum, quia sit ens à se.* Hanc suam sententiam dum probare conatur, probat per id, quod adhuc est ἐνδέχῃ. Dicit enim, quòd quemadmodum esse ab alio formaliter dicat finitatem; ita esse à se formaliter dicat infinitatem. In quaestione, inquam, adhuc est, conceptum formalem finiti fundari in esse ab alio. Quod verò rem ipsam porro concernit, non quidem negamus, infinitatem in essentiâ ex independentiâ per quasdam consequentias seu quendam discursum deduci posse, sed inficias imus, infinitatem & independentiam formaliter idem dicere. Unde rectè

ctè